

rat) spiritum quendam prophetico vicinum, & proximum: qualem necessarium esse ostendimus sacris literis interpretandis. Imo qualis erat necessarius, ut ecclesia Latina editionem sacrorum librorum haberet, quam tuto in fide, & moribus sequeretur.

Iam ad postremum argumentum facile respondemus. Quod si Latinorum ad Græca, Hebraicaque collatio a nobis negligenter, exemplo D. Ambrosii tueri nos utcumque possemus. Qui cum Græce sciret, & commentarios in sacras literas ederet, sæpe tamen non est dignatus Græca consuleri, etiam ubi diversitatem aliquam lectionis esse constabat. Videre hoc est in commentariis super caput duodecimum epistolæ ad Romanos. Quod si interpretum etiam magis varietate turbemur, quam iuvemur, Sophronii nos excusaret exemplum, qui id de se apud Hieronymum (15) fatebatur. Nos vero, nec versiones novorum interpretum, nec linguarum peritiam, nec ad Græca, & Hebraica exemplaria, Latinorum collationem damnare volumus: quin potius magnopere commendamus. Nam, si Augustinus de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 11. vulgarium etiam, & parum doctorum interpretum versiones plus adiuvare, inquit, intelligentiam, quam impedire, ego varias doctissimorum hominum editiones iure reprehendere nec possum, nec debeo. Atque, ut invidiam eorum deprecer, qui nos aut miseros, & barbaros, bonarumque literarum expertes, aut etiam laborum alienorum invidos reprehensores calumniari possunt: ego in linguarum cognitione plura etiam commoda ad sacras literas intelligendas esse fateor, & id quidem peringenue. Tantum abest, ut linguarum peritiam insecter.

CA-

(15) Hieronymus in epist. ad Sophronium.

CAPVT XV.

De linguarum Hebraica, & Græca utilitate.

PRincipio enim, sunt linguæ utilissimæ, ubi differitur cum infidelibus: vel etiam ubi infideles alienæ linguæ ad fidem instituuntur. Quæ causa, vel sola redditur in illa Clementina 1. de Magistris, propter quam linguæ sunt in academiis perdiscendæ. Alioqui, quorsum atinebat Arabica lingua, quæ ibi doceri præcipitur? Qua de re, leviter motus videtur Erasmus (1), ut Clementinæ huius argumento assereret, ad sacras literas intelligendas Hebraicam, Græcamque linguam esse necessarias. Altera linguarum commoditas est, in his dictionibus explicandis, quæ magnam emphasim habent, aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos, & Græcos, quam Latinus sermo exprimere non valet. Huiusmodi dictiones multas cum in Hebraicis quæstionibus, tum in commentariis annotavit Hieronymus. Nos unam, aut alteram exempli causa ponemus. Vt Marci 6. interpres reddidit, *Et cum dimisisset eos*, ubi verbum tamen Græcum ἀποτάσσειν non significat simpliciter *dimittere*, sed *dimittere benigne, ac gratiose*, quemadmodum amicis celebrato convivio benevole valedicimus. Quia in re evangelista, Græce scribens, Iesû Christi etiam erga rusticos summam comitatem, & gratiam commendavit. Id quod Latina voce exprimi vix potest. Et in epistola ad Ephesios, pro eo quod nostra editio habet, *A constitutione mundi*, Græce habetur κατὰ βολήν. Cuius vocis emphasim Hieronymus in commentariis explicare volens, *Non id ipsum* (inquit) *κατὰ βολήν*, quod constitutio sonat: unde & nos propter paupertatem linguæ, & rerum novitatem, & (sicut quidam ait) quod sit Græcorum sermo latior, & lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre e verbo (quod impossibile est), quam vim verbi quo-

(1) In præfatione super Laurentii annotationes.

quodam explicare circuitu. Καταβολή, proprie dicitur, cum quid deorsum iacitur, vel cum aliqua res sumit exordium. Vnde & hi, qui adium futurarum iaciunt fundamenta, καταβεβληκένοι dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere, quod Deus universa sit machinatus ex nihilo, non conditionem, non creaturam, atque facturam, sed καταβολήν, id est, initium fundamenti ad eum retulit. Hactenus Hieronymus. Et 1. libr. adversus Iovinian. tractans illum locum 1. Cor. 7. Non ut laqueum vobis iniciam: sed ut, &c. Proprietatem, ait, Græcam Latinus sermo non explicat. Quibus enim verbis, quis possit dicere, &c. unde & in Latinis codicibus, ob translationis difficultatem, hoc penitus non invenitur. Cuiusmodi sunt & alia exempla plurima, quæ nos causa brevitatis omittimus. Legat multa qui volet apud Hilarium in expositione psalmorum pluribus in locis (2) asserentem Latinum sermonem plenam Græcæ literæ intelligentiam non reddere. Ambrosius quoque in explanatione Psalm. 118. Latinos ait, non posse in omnibus vim Græci sermonis exprimere. Quod in Græco plerumque maior fit vis, & pompa sermonis. Qua in re plurimum Theologos iuvare possent Erasmi in novum testamentum annotationes: nisi eas tam multis erroribus aspersisset.

Est alia quoque utilitas, ad accipiendos plures sensus catholicos ex eadem scriptura, præsertim cum apud Græcos, & Hebræos est æquivoca. Sic enim dictiones polysemas, & ambiguas dialectici nostri vocare solent. Nam, interpret unam solam vocabuli significationem reddere potuit. Vt Eccles. 2. ubi nostra editio habet, *Cogitavi abstrahere a vino carnem meam*, alii vertunt, *trahere in vinum carnem meam*, alii, *attrahere in vino carnem meam*. Cuius quidem contrariæ omnino versionis contrarius verbi Hebraici significatus causa fuit. Quod & Hieronymus ipse in commentariis admonuit. Atque 1. libr. Apologiæ adversus Ruffinum tractans illud

(2) In psalm. 65. & in illum versum psalm. 118. Omnis consummationis vidi finem. Et in illum, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Et in illum, Deduc me in semitam mandatorum tuorum.

illud 2. Psalm. *Aprehendite disciplinam*: pro quo ipse interpretatus est, *Adorate filium*, vel etiam, *Adorate pure*: Nisi (inquit) & prolixum esset, & redoleret gloriolam, iam nunc tibi ostenderem, quid utilitatis habeat magistrorum limina terere, & artem ab artificibus discere: & videres quanta sylva sit apud Hebræos ambiguum nominum, atque verborum. Quæ res diversa interpretationi materiam præbuit; dum unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert. Hactenus Hieronymus. Ambrosium item vide, in Psalmum secundum de verbo, *Beresith*. Ambiguitas etiam in aliena lingua festivum quandoque vocis usum, lusumque præbet, qui in nostra non solum conservari nequit, sed ne sensus quidem germanus sine magna licentia reddi. Vt Hieremiæ primo, pro eo quod nos habemus, *vigilantem*, in Hebræo est vocabulum, *Soced*, quod ambiguum est, *nucemque*, & *vigilias* significat. Vt Hieronymus ibidem, & in Ecclesiastes cap. ultimo differit. Cum itaque propheta in visione virga nucæ, seu amygdalina fuisset ostensa, rogatus a Domino quid videret, Hebræa lingua virgam *Soced*, se videre respondit. Tunc ergo Dominus sermonis occasione ludens, *bene*, inquit, *vidisti: quia vigilabo ego*, &c. Ita quamquam Hieremias in una significatione nomen acceperit, at Dominus ad alteram flectens, fecit ex sermonis ambiguitate concentum sententiæ elegantissimum, ut si sydus quoddam cæleste videns, Canem se videre diceret, scite illi diceretur, bene vidisti, Canis enim lacerabit te, &c. Iam vero si interpret Latinus, *Soced* in *nucem* transtulisset, quod 70. fecerant, absurde sane subiungeretur, *bene vidisti, quia vigilabo*, &c. unde coactus fuit nova quadam, insolitaque interpretandi licentia, *virgam vigilantem* Latinis auribus reddere. Quæ ego asserere non auderem, nisi auctor gravissimus Hieronymus (3) astruxisset.

Quarta utilitas in linguarum eruditione est ad cognoscenda idiomata, phrasæ, & proverbia linguæ alienæ: ut sunt illa,

(3) In 12. cap. Eccles. & in 21. cap. Hierem.

illa, *Ne respicias post tergum* (4), & *neminem salutaveritis in via* (5). Quibus maxima quædam itineris celeritas quasi proverbialiter, & figurate significatur. Illud etiam per proverbiale figuram apud Hebræos, atque Hispanos dicitur, *Omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo* (6). Sic apud Ecclesiasticum de consiliario infido, & traditore dicitur, *A consiliario serva animam tuam, ne forte mittat sudem in terra, & dicat tibi, bona est via tua* (7). Sic Hebræa phrasi, *filius excussorum robusti*, & expediti dicuntur. Qua de re Hieronymum lege in epistola ad Marcellam, cuius initium, *Beatus Pamphilus. Sic filia carminis, Ecclesiastes 12. aures* intelliguntur. Sic *Saul filius unius anni* dicitur, cum regnare cœpisset, id est *innocens*. Nisi, quod Eucherio visum est, ita intelligas: Saulem electum a Samuele uno anno domi tacuisse, & expleto anno cœpisse regnare. Sed de hoc exemplo alias. Nam vitio scribentium forte per 21. anni, unius anni inducitur. Sic *Nemrot, Robustus venator coram Domino*, id est, *sub calo*. Quasi robustissimus omnium hominum, qui sub cælo erant. Scio quosdam ita interpretari, ut *venator coram Domino* dictus sit, quasi *Dei venator*: quo significaretur civilem unius monarchiæ potestatem vindictam esse a Deo approbatam, ut quæ Dei administra sit. Sed id quod prius dixi, Hebræorum doctissimis placet. Vel certe *venator coram Deo* vocatur, id est, *sub dño*. Homines enim ferarum more palantes in agris ad civilem societatem coegit.

Sic *pluisse Dominum a Domino* Hebræismum esse quidam existimant: id est, *desuper*; sed *filium a patre* intelligunt Eusebius, lib. 1. ecclesiasticæ historiæ, cap. 1. Hieronymus Osee 1. Irenæus lib. 3. cap. 6. Basilii libr. 5. contra Eunom. Marcellinus ad Salomon. episcopum, concilium Syriense, Canon 15. Ac certe, ut alios libros veteris testa-

(4) Genes. 19. (5) Luca 10. Hispane: *No seas oydo, ni visto*, id est, nullam moram facias. (6) *Al rico todos le dan, al pobre, aun lo que tiene, le quitan.* (7) Cap. 37. *Habla con vos, I coge piedras con los pies.*

menti prætermittamus, Salomonis proverbialia, nisi habita ratione Hebræica consuetudinis, & sermonis, vix ullo pacto explicari queunt. Nam quod apud Hebræos proverbiali figura dicitur, id apud Latinos nullum quandoque proverbium est. Quod plerique ignorantes in proverbiorum expositione, aut ad allegorias confugiunt, aut varia etiam deliramenta confingunt: multoque melius fuerat, simpliciter inficitiam confiteri, quam imperitiæ suæ alios heredes facere. Horum ego Latinorum errata facile commemorarem, nisi aliud huius temporis ratio postuleret. Et nos aut reverentiæ, aut benevolentiam causa neminem hic certo nomine volumus lacerare. Illud constat Parabolas aliud in medulla, aliud in superficie polliceri, neque hoc sonare quod scriptum est. Ex quo, ut Hieronymus in Ecclesiastes cap. ultimum ait, *Manifestum fit, Proverbiorum librum non, ut simplices arbitrantur, potentia habere præcepta: sed quasi in terra aurum, in nucis nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius perscrutandum*. Id quod sine Hebrææ linguæ peritiâ difficulter, ne quid amplius dicam, faciemus. Iuaret autem Hieronymus vehementer Latinam intelligentiam, si commentarios in libros Proverbiorum edidisset. Nam, qui circumferuntur, quamquam Hieronymo in Decretali. tit. de constit. tribuuntur, Hieronymi tamen non esse liquido deprehenditur.

Quinta commoditas est ad ea menda corrigenda, quæ ex incuria videlicet typographorum, aut eorum, qui exscribere, imperitiâ obreperunt. Ut Iosue 11. cap. *Non fuit civitas, quæ se non traderet*: ubi secunda negatio superfluit, ut ex consequentibus manifeste colligitur. Sed quia fortasse Septuaginta interpretes negationem illam in exemplari habuerunt, coacti sunt, verbum, *Tradidit*, ad suppositum aliud referre, & pronomen *se*, vel expungere, vel omittere. Item psalm. 26. *ut videam voluntatem Domini*, pro *voluptatem*. Græce *τερεπνότητα*. Et in titulo psalm. 62. *Idumæa pro Iudæa*, ut Græca omnia, Hebræaque exemplaria demonstrant. Et psalm. 65. *Et exultavi sub lingua mea*, pro *exaltavi*: id quod tam ex Græcis, quam ex Hebræis manifestum est. Sunt qui putent, etiam subesse mendam psalm. 19. *ipsi obligati sunt*,

& ceciderunt, pro obliquati sunt: sic enim Hieronymus vertit, incurvati sunt, & consentiunt ceteri interpretes. Ac psalm. rursus 124. Declinantes autem in obligationes, pro obliquationes: Hieronymus reddidit pravitates, Felix perversa, alii iniquitates. Consentit hic Titelmanus. Verum hæc duo loca incorrupta sunt. In priore siquidem Græce habetur Συμποδίσθησαν. Συμποδίζω autem est, obligo, nexu impedio, & implico. In posteriore vero Græce legimus στραγγαλιὰς, quæ vox Latinis est, obligatio, nodus, & nexus implicatus. Quemadmodum & Nazianzenus in oratione usurpavit. Ac Hieronymus in Isaïæ cap. 58. obligationes nobiscum legit. Vnde & nodus gutturis, & locus strangulationis στραγγαλίη Græcis dicitur: & στραγγαλέω strangulo, suffoco. Illud sane corruptum est in psalm. 206. Effusa est contentio super principes, pro contemptio (8), Græce ἐξουδένωσις. Quam eandem vocem, psalm. 122. in despectionem vertit interpretes. Rufinus autem libro 8. historię ecclesiasticę, cap. 1., illud ita convertit, effusa est contumelia super principes. Et Iob 19. vel celte sculpantur in silice, pro certe. Et Lucę 10. suspiciens, pro suscipiens ὑπολαβών. Tametsi auctor libelli de vera, & falsa pœnitentia, qui nomine Augustini circumfertur, communem errorem secutus est. Et Lucę decimoquinto evertit, pro evertit, σαροί. Et primę ad Corinthios. 2. spiritualiter examinatur, pro examinantur ἀνακρίνεσθαι. Et capitulo 10. omnes qui de uno pane, pro omnes quidem. Et cap. 15. Quotidie morior propter gloriam vestram, pro per gloriam. Iurat quippe ibidem Apostolus; & particula ὃν, adverbium iurantis est apud Græcos. Et ad Hebręos cap. 5. interpretabilis sermo, pro ininterpretabilis, hoc est ineffabilis, explicatuque difficillimus, quemadmodum ex Hieronymo in epistola ad Evagrium liquet. Atque idem Hieronymus in quæst. Hebraic. Gen. 3. legendum ait, Ipse conteret caput tuum, non ipsa. Cum enim apud Hebręos neutro genere ad semen referatur, interpretes rem significatam perpendens, in masculino genere transtulit, ipse. Quod imperiti non intelligentes, vitiumque scri-

(8) Vid. Iob 12.

scriptoris existimantes, substituerunt, ipsa. Vt illa prætereamus quæ Augustinus Eugubinus commemorat sicut cervus desiderat umbram (9), pro servus. Et solis ardore (10), pro salis. Et sitivit anima mea ad Deum fontem (11), pro fortem. Et interfecta est terra a sanguinibus, pro infecta. Nam & psalm. 10. pro eo quod nos habemus, qui diligit iniquitatem, odit animam suam, D. Hieronymus legendum credit anima sua, hoc est, ipsius, refertur enim anima sua ad Deum, non ad peccatorem. Sensus autem mirifice convenit; ut Deus scilicet intelligatur, utrumque quidem interrogare & iustum, & impium, sed impium tamen reprobare, odium enim Dei reprobatio est. Nos autem Græca Septuaginta interpretum exemplaria, quæ nunc quidem extant, sequi possumus. Non enim illa habent τῆς ψυχῆς, sed τὴν ψυχὴν. Atque fortassis hinc illud apud Tobiam (11) acceptum est, qui autem faciunt iniquitatem hostes sunt animæ suæ. Similiter, & in epistola ad Suniam, & Fretellam, pro eo quod in psalm. 5. legitur, dirige in conspectu tuo viam meam, legendum contendit, dirige in conspectu meo viam tuam. Sic enim ipse verterat, dirige ante faciem meam viam tuam. At in hoc etiam nos Græcorum exemplaria sequimur: & vulgatam lectionem, cum fieri sane potest, approbamus. Simile illud est ad Philippenses 3. Qui spiritu Deo servimus, ubi spiritui legendum esse credit Ambrosius, libro 2. de Spiritu Sancto, cap. 6. Nec solum in Latina lingua huiusmodi errores accidunt: sed eos etiam in Hebraica, & Græca deprehendimus. Deprehendit Caietanus, ac vere ille meo iudicio quidem 2. Regum 21. vocem Michol, falso ab Hebræis pro Merob fuisse substitutam: ut patet 1. Regum 12. Deprehendit quoque Hieronymus in psalm. 131. Septuaginta interpretes non χήραν, id est, viduam, sed θήραν, id est, venationem transtulisse, sed propter vocum similitudinem pro θήρα, id est, venatione, χήραν, id est, viduam esse suppositam, maxime quia in sequenti versiculo pauperes sequebantur. Nisi forte Latinus interpretes victum, aut venationem reddidit, & error

T 2

ob-

(9) Iob 7. (10) Deuter. 29. (11) Psalm. 41. (12) Cap. 12.

obtinuit, ut *vidua* legeretur. Nam vox Hebraica nullo modo *viduam*, sed *venationem*, *victum*, *viaticumque* significat. Huiusmodi menda gravi ratione, prudentique consilio corrigi possunt. Nam illos quis ferat, qui, sicut est apud Quintilianum, dum librorum infectantur incertiam, produnt suam? Et dum libros sacros mendis, ut aiunt, scattentes purgare volunt, contaminant. Fateor siquidem proclive fuisse, & facile indocto & negligenti librario, praesertim in verborum & rerum nonnulla similitudine, ea, quae recta erant, explodere, & quae erant depravata, substituere. Fateor etiam, tantam fuisse olim in sacras literas reverentiam, ut quae menda, quamlibet dilucida, semel irrepserant, religio fuerit attingere (13). Sed video quoque huius temporis improbam temeritatem, quae adeo nihil non audeat sacris codicibus corrigendis: ut Manichaei olim parum in hac re immodesti fuisse videantur, quos Augustinus ad Hieronymum scribit, multa divinarum scripturarum loca vitiosa esse contendere solitos non ab scribentibus apostolis, sed a quibusdam, nescio quos, codicum depravatoribus (14). Verum haec haec tamen non est praetereundum, quod Divus Hieronymus in 40. cap. Ezechielis scribit. Omnia prope verba Hebraica, & nomina, quae in Latina translatione sunt posita, nimia esse vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata. Ut igitur haec emendentur, Hebraicae linguae cognitio necessaria est. Nam etsi nomina adhuc integra, & illibata manerent omnia, sed ipsae tamen nominum interpretationes, quibus multa scripturae sacrae mysteria aperiuntur, sine huius linguae peritia non habentur. Ut Augustinus 2. de doctrina christiana, cap. 16. auctor est. Quo etiam loco illud agnoscit, non parum beneficii eos Latinis hominibus contulisse, qui Hebraica nomina separatim interpretati sunt.

Sexta utilitas fuerit ad intelligenda quaedam loca, scilicet quae vel apertius ab interprete reddi poterant, vel etiam quae

(13) Augustinus 2. de doctrina christiana, cap. 13. (14) Vide Augustinum, lib. de bono persever. cap. 11.

quae sine linguarum cognitione nequeunt explicari. Ut apud Ioannem (15): *Erat quidam regulus*, pro quo Graece βασιλικός, hoc est, de *aula regia*, seu *Palatinus*, ut Hieronymus in Isaiam (16) annotavit. Videtur interpretes Graece legisse βασιλικός. Graeca vero exemplaria habent omnia βασιλικός, id est, *regalis*, seu *regius*. Qua ex re coniectura fit, interpretem *regalem* vertisse, sed a sciolo *regulum* esse suppositum. Et Ioannis primo, *Qui post me venturus est, ante me factus est*, quod evidentius verteretur, *mibi praepositus*, seu *antelatus est*, ut Augustinus super Numeros, quaest. 51. & super Ioannem, homil. 3. subnotavit, & Actor. 27. *Cum non esset tuta navigatio, eo quod ieiunium iam praeterisset*, pro eo quod *ultra tempus sustinissent inedia*. Et ad Roman. 12. *Non vosmetipsos defendentes*, pro *ulciscentes*. Nam numerum bestiae, qui Apocalypseos cap. 13. scribitur, sine alphabeti Graeci secundum ordinem arithmeticum intelligentia, aut vix, aut certe nullo modo exponere possumus. De qua re 13. libro fusius disseremus.

Septima utilitas, ad evitandum errorem ex Latini sermonis amphibologia, Ut, *filius hominis* in evangelio dicitur Christus: ubi cum genitivus apud Latinos communis generis sit, apud Graecos articulo masculino definitur: ut non *filius virginis*, sed *filius Adam* intelligatur. Filius siquidem hominis iuxta Hebraicam phrasim dicitur, ut *filius terra*, *homo obscurus*, & *contempribilis*, qua utique nomenclatura Dei filius identidem in evangelio gloriatur. Tanta fuit verbi incarnati modestia. Quamquam, ut Augustinus ait, *commendat Christus frequenter nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis*. Huiusmodi etiam exemplum est ad Romanos ultimo: *Salutat vos Caius hospes meus, & universa ecclesia*. Vbi, *universa ecclesia*, casus gignendi est, non nominandi, ut Caius intelligatur, non Paulum modo, verum etiam totam ecclesiam hospitio excipere. Et Lucae 11. *quod superest, date elemosynam*. Vbi Latinus sermo anceps est. Potest enim intelligi, *quod superest*, pro eo quod *unum illud nobis restat*, seu

(15) Cap. 4. (16) Cap. 65.

reliquum est, vel quod superest, id est, quod superfluum est. Quam utramque intelligentiam Latinus sermo recipit: Græcus tamen excludit. Habetur enim τὰ ἐρόντα, id est, quæ insunt, seu quæ habetis; ut & Theophylactus, & Cyrillus lib. 2. in Leviticum, & Augustinus super psalm. 125. & Chrysostomus homil. 33. ad populum, & super epistolam ad Hebræos homil. 9. exponunt. Nam hunc postremum sensum Græca lectio habet, primum, & secundum non videtur habere: tametsi secundus ille Divo Thomæ placuerit: qui quidem in ea re, & Bedam sequitur super Lucam, & Gregorium in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum: referturque 12. quæst. 1. cap. Quia tua.

Alia denique utilitas est, ad quædam vocabula, vel Hebraica, vel Græca percipienda, quæ in editione Latina remanserunt, vel propter sanctiorem antiquitatis servandam auctoritatem, vel quia in linguam alienam transferri commode non potuerunt, quod Augustinus lib. 18. de civitate Dei, cap. tradit, ut Matthæi 11. *Pauperes evangelizantur*: id est, *bonum accipiunt nuncium*. Cum enim in humano principatu regum mysteria secreta ad pauperes per divites deriventur, in Christi regno e contrario nuncia cælestia ad divites per pauperes sunt delata. Et 1. ad Corinth. ultimo, *Anathema marana atha*. Quorum illud prius Græcum, hoc posterius non tam Hebræum, quam Syrum est. Qua de re Hieronymus disserit in epistola quadam ad Marcellam, cuius initium est, *Nuper*. Et in epistola ad Damasum de verbo *Osanna*: In qua Hilarius notat, quod ob linguæ Hebraicæ imperitiam, verbum illud male fuerit interpretatus. Sunt & aliæ forsitan in peritia linguarum utilitates. Nec enim ego omnes enumerare potui: sed quæ satis erant, ne huius rei invidia labefactaretur disputatio mea. Isthæc autem melius ab aliis copiosiusque tradentur, qui linguarum patrocinium forte susceperint. Quæ in causa quæ volent omnia poterunt dicere, ac nos quidem libenter audiemus, si intra præscriptos modo religionis modestiæque terminos se contineant: nec aut veras linguarum utilitates fallaci vanitate, aut etiam veterem Latini interpretis editionem novis aliis quasi elegantioribus, melioribusque permutent. Sunt enim nonnulli, quibus, quoniam novi te-

sta-

stamenti antiqua versio parum elegans & culta est, placeret maxime ut illa summtota, in illius locum Latinior alia succederet. Scilicet artis coloribus Dei volunt sapientiam pingere, & quasi puellam rhetorum flosculis exornare. At illa modesta cum sit, non ambit ornatum: cum sit gravis, fucum ignorat: cum virilis, mundo muliebri non capitur. *Sine phaleris est*, ait quidam, *omne quod dicitur affectio*. Amor itaque phaleras nescit. *Dicendi ornamenta*, alius inquit, *non sunt negotii, sed otii, nec militia sunt picta verba, sed quietis*. Igitur, quæ bellicum canit, quæ exultat quasi tuba vocem suam, quæ irruentes hostes, mortem præsentem intonat, ea horridum nescio quid & Barbaricum sonat, non tanquam lyra, citharave cæcumenicum suavi, dulcique sono canit. Quid Theopompo acciderit in scriptura sacra rhetorum more ludenti memoriæ proditum est (17). Sed dimittamus externa, ad nostra veniamus. *Non in persuasibilibus*, ait (18), *humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*. Et rursus (19): *O Timothee devota*, inquit, *prophanas vocum novitates*. Si ergo vitanda est vocum etiam novitas, tenenda est antiquitas, & si prophana novitas est, vetustas sacrata est: quemadmodum Vincentius Lirinensis dixit. Item, *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum*. Scilicet ab spiritu puro & simplici pura simplexque oratio expetenda erat. Nec fæminam gravem, honestam, seniorem decebat nisi castus ornatus. Vide Augustinum, libr. de doctrina christiana 4. cap. 6: *Quamobrem, ingenue dicam, ne illos quidem probare unquam potui, qui paraphrases, quamlibet Latinas, & elegantes, in sacras literas ediderunt*. Cum enim personam Christi, Paulive loquentis assumunt, quomodo elegantius, nitidiusque eloquantur, eo minus illorum spiritum, & maiestatem servant, atque adeo rei quodammodo fiunt læsi spiritus, & maiestatis. Certe, quod olim puer magno assensu virorum sapientium dixi, si aut Christus, aut Paulus istorum mihi lingua loquerentur, nec Christus mihi, nec Paulus essent. Non est

*mente divi
vatus est; et
etiam oculo
Annoque li
pre. et Joseph
quit. cap. 2.*

(17) Eusebius de preparatione evang. lib. 8. cap. 1. (18) 1. Cor. 2. (19) 1. Timor. 6.

nitidulus Christus, mihi crede, non est comptulus, non elaboratè ornatus. Paulus vero non scientia ille quidem, sed sermone imperitus est tamen. Permite Christo igitur linguam suam, linguam suam permittite Paulo: utraque enim *calamus est scribae velociter scribentis*, non ad singula verba, & apices elaborantis. Novi ergo testamenti vetus editio, id namque agebamus, quamvis simplex, & inculta sit, non est propter hoc minoris facienda. De tertia igitur quæstione satis dictum est.

CAPVT XVI.

Vbi ponuntur argumenta eorum qui sunt opinati, sacros Auctores in libris Canonicis, non semper divino spiritu fuisse locutos.

Contro-
versia 4.

Quarta consequens fit. An auctores sacri in libris Canonicis spiritu interdum humano sine divina, & supernaturali revelatione loquantur. Fuerunt enim viri ecclesiastici nonnulli (ut Hieronymus in proœmio super epistolam ad Philemonem testatus est) qui crederent, non semper auctores sacros spiritum in se loquentem habuisse. Quia nec humana imbecillitas unum tenorem Sancti Spiritus tam longo orationis decursu ferre potuisset: Nec dignum est (inquiunt) ut ad huius corpusculi naturales, & evidentes necessitates Spiritus Sancti maiestatem sine causa deducamus. Adhibent vero huius rei exempla ex epistola ad Timotheum 2. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Et illud: *Lucas est mecum solus.* Et *Trophimum reliqui infirmum.* Et alia eiusmodi, quæ passim in epistolis Pauli humanitus scripta inveniuntur. Non igitur scriptores sacri Spiritum Sanctum semper manentem, & in ipsis loquentem habuere. Nam, & hoc Christo domino peculiare fuit, ut Ioannis 1. cap. dicitur: *Super quem videris* (inquit) *spiritum descendentem, & manentem super eum, &c.* Confirmatur autem idem hoc argumento, maxime quod sicut Deus non deficit in necessariis, ita non redundat in superfluis, quemadmodum Aristoteles de-

demonstravit. Ad ea vero quæ naturali lumine nota erant, non erat supernaturalis revelatio necessaria. Quæ igitur scriptores sacri viderant, & manibus attrectaverant, non divino lumine infuso, sed humano locuti sunt.

Deinde, apostolus in priori ad Corinthios epistola quædam penit, de quibus asserit, quod Domini sunt mandata. *Præcipio* (inquit) *non ego, sed Dominus.* Mox vero subdit, *Cæ- 2. Argum*
teris ego dico, non Dominus. Quod si Paulus ex interna revelatione Spiritus Sancti omnia scriberet, profecto non diceret, *ego dico, non Dominus.* Quoniam eiusmodi consilia, quæ Deo revelante dantur, Domini sunt: Quemadmodum quæ a prophetis per revelationem dicebantur, Dei verba erant. Non enim propheta asseruisset, *hoc ego dico, non Dominus.*

Hanc vero argumentationem non leviter, sed haud scio an gravissime Basilus confirmat libr. 5. contra Eunomium, capite penultimo, in hæc verba: *Quacumque spiritus loquitur, Dei verba sunt, & propterea omnis scriptura divinitus inspirata, & utilis est, quam locutus est spiritus.* Nam vere id monstrat, spiritum non esse creaturam: Quoniam omnis rationalis creatura, est quando ea quæ Dei sunt loquitur: ut cum dicit Paulus, De virginibus autem præceptum non habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecutus: his autem, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus. Et propheta, O Domine, iudicia loquar ad te: Quid quoniam impii prosperantur? Et rursus, Heu me mater, ut quid me peperisti? Nonnunquam autem dicit, hæc dicit Dominus. Et nonnunquam Moses, ego sum tenuis voce, & tardæ linguæ. Aliquando vero is ipse, hæc dicit Dominus, emittas populum meum, ut mihi sacrificet. Spiritus autem non sic. Non enim aliquando sua, aliquando quæ Dei sunt loquitur: id namque creatura est: verum omnia spiritus verba sunt. Hactenus Basilus. Sed & Origenes homilia 16. super numeros (1), Sermo (ait) qui apud Ionam scriptus est, & non est factus, a Iona potius quam a Deo prolatus

Tom.1.

V

tus

(1) Nititur Origenes illo Deuter. testimonio, quod si in nomine Domini, propheta quicquam prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus. Matth. 19.